

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Paul Christian Henrici


De Stvdio Homerico Prolsvio ...

[Prima] : A. D. XXX. Martii Ab Hora X.

Altona: Ex Officina Bvrmesteriana, MDCCCLXXXVII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn1701038390>

Band (Druck) Freier  Zugang 



K.P - 395(β)
K.P - 395(3.β)

DE
STUDIO HOMERICO *coll.*
PROLVSIO *131*
prima.

QVA
ULTIMAS ORATIONES
QVORUNDAM
CHRISTIANEI ACADEMICI

CIVIVM

A. D. XXX MARTII AB HORA X. *1787.*

RECITANDAS

INDICIT

PAVILLVS CHRISTIANVS HENRICI
REGIS A CONSILIIS IVSTITIAE
ELOQ ET POES. P. P. GYMNASII H. T. DIRECTOR.

ALTONÆ
EX OFFICINA BVRMESTERIANA
CICLOCLXXXVII.



Quam ipse quondam in legendis poëtis Graecis viam
iuuenis tenueram, vt ab Anacreonte ad Homeri
Iliadem progrederer, eiusdem ineundae iuuenibus
nostris auctor fui, et per anni superioris cursum progressionem,
quam facerent; non sine iucunda veteris memoriae repetitione
animaduerti. Etenim ad Iliadem legendam me tum duxerat
opportunitas quaedam temporis, quo ea agerentur, quae ad
incendendum eius studium aliquam vim haberent. Humaniori-
bus litteris operam dabam in Gymnasio acad. Gedanensium, quo
tempore vrbs Russorum, qui Stanislaum regem sibi tradi postu-
labant, obsidione cincta erat, et cessabant per aliquot hebdo-
madas scholae publicae in Athenaeo, quod propugnaculorum ad
partem hostibus proximam situm, a globis molibusque igniuo-
mis non satis tutum videretur. Itaque cum suo sibi studio
commilitones auctorem priuatim tractandum deligerent, mihi,
qui Anacreontem legisse, ad Iliadem pergere cum quibusdam
aliis libuit, in qua obfessae vrbis, praeliorumque prope vrbem
imaginem cerneremus. Scamandrum et Simoëntem referre

A 2

nobis

IV

nobis Vistula et Motlaua videbantur. Montes et colles Gedano vicinos conferebamus cum Troianis. Ducum characteres et consilia, copiarum concursationes, cet. in contentionem comparationemque nostram omnia trahebantur. Iuuenilis ingenii lufus erat; sed hic tamen lufus proderat studio Homerico, illudque aliquanto intentius efficiebat.

Tradidi ante triginta amplius annos, cum Anacreontis carmina primum hic legissemus, scripta prolusione, nonnulla, quae per illas commentationes adnotaueram. Eodem nunc instituto vtar, et iuuenibus nostris, his enim haec scribimus, continua serie repetam, quae passim, vti se dederat inter legendum occasio, me commemorare memini. Absoluimus adhuc libros vndecim, in reliquis pari diligentia perrecturi, quam, vt equidem spero, hoc commentariolo nonnihil etiam adiuuerim.

HOMERVM, poëtarum, quorum integra ad nos monimenta peruererunt, longe antiquissimum; carmina sua recitasse ipsum, ac postea fuisse, qui ea, per rhapsodias in partes quasdam tributa, memoriter canerent, et rhapsodi nominarentur, cum commemorabamus, euoluimus Aelianum in var. histor. XIII, 14, illas ex Iliade et Odyssaea rhapsodias nominatim laudantem, easque incredibili studio tantaque cum voluptate auditas fuisse accepimus, vt non aliud acroama vel inter mensas iucundius veteres Graeci nossent. Memineramus tum, nostro quondam coetu exiisse, qui ex Klopstockii diuino carmine loca quaedam exstantiora cupide, nec sine pio dulcique pectoris motu audientibus recitaret.

Quae audita tantopere placuerant, carmina post in litteras relata et criticorum castigata curis, maiorem etiam amplioremque plansum lecta tulerunt. **HOMERVM** suum legebat et ediscebat

ediscerat Graecia vniuersa. Ab eo litterarum studia incipiebant pueri ad virtutem informandi. In Xenophontis Symposio III, 5. Niceratum legimus, vt aliquando vir bonus euaderet, patris iussu Homerum edidicisse totum. Contendimus cum illo loco, Aeliani XIII, 38. de Alcibiade narratiunculam. Qui cum aliquando ludum litterarium ingressus Iliados rhapsodiam petiisset, ludimagistro sibi quidquam Homeri adesse neganti pugnum inflixit: neque enim fieri posse, quin eiusmodi imperitus praceptor similes sui pueros efficeret. Nec minus studiose a Romanis, ex quo litteris Graecis eruditii coepissent, versabatur Homerus. *Romae*, inquit ille vetus amicus noster,

Nutriri mihi contigit, atque doceri,

Iratus Graii quantum nocuisse Achilles.

Eodem iudice et eximmatore, non tantum

Res gestae regumque ducumque et tristia bella,

Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus;

verum etiam is est,

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

Planius, ac melius Chrysippo et Crantore dicat.

Videbatur sane Homerus omnium optime tum praceptis amicis sententiisque ab ipsa hominum natura repetitis formare pectus, tum, quod plerumque potentius est, exemplorum notatione inferere animis deorum cultum, amorem patriae, fortitudinem bellicam, officia, quae parentibus, quae liberis, quae hospitibus, quae amicis, quae coniugibus deberentur. Pro-

A 3 pterea

VI

pterea etiam Iurisconsulti veteres eius auctoritate vtebantur, et Iustinianus in praefatione Digestorum eum patrem omnis virtutis adpellauit.

Iam, vt a diis incipiamus, illos, quales vulgo putabantur, tales inducit, forma et affectibus hominum similes: vnum Iouem tradit omnium supremum, deorum hominumque patrem, cui tanquam consiliarii adsint reliqui. Non otiosos facit spectatores in intermundiis, sed variis muneribus praefectos rerum humanarum curatores. Itaque hominum preces audiunt, vota, libationes, sacrificia animaduertunt, vixque vllum Iliados librum reperias, vbi non deorum dearumue ministeria, quantae ipsis res hominum curae sint, declarent. Quorum blandissimum mihi semper visum est, quod Diomedi praestat Minerua V, 127, dum, quo minus alucinetur, oculorum ipsi caliginem aufert. Hinc summi duces pugnam inituri precibus sibi aduocandum numen existimant, et qui illud pietatis officium intermisserint, suis viribus confisi, temeritatis suae poenas luunt. Iustis precibus fauent dii, iniqua et nimia postulantibus, cuiusmodi fudit Theano VI, 305, collat. 277, vbi moderatius optare iusserrat Hector, abnuunt. Cumque deorum alii ab Achius, alii a Trojanorum partibus starent: accidit, vt vtraque pars eorum ope et consiliis adiuuaretur. Cuius rei, praeter alios, insigne exemplum est Diomedes in illa expeditione nocturna X, 507, quem iubet Minerua precibus paullo ante inuocata, redditum maturare, ne forte Trojanos e somno excitet deus alias; et commodum discesserat, cum ab Apolline exercefiunt Thrae. Qui diis obtemperauerit, hunc rursus a dies audiri dixit Poëta I, 218. Achillis ore: qui, si pro diis deum dixisset, apud Homerum legeretur dictum Ioh. IX, 31. Et sunt bene multa, quae cum scriptoribus sacris conueniant.

Ad

Ad patriae amorem non vno loco excitat, sed in primis illo XII, 242, quo pugnam pro patria praestantissimum augurium dicit Hector. Cumque fortitudinem bellicam passim laudet, et in ipsa nobili Aiacis fuga XI, 543 pingat: prudentiam tamen in bello ipsi fortitudini preferendam docet celebri voto, quo non sibi Diomedis, sed Nestoris decem familes optat rex regum Agamemnon II, 372, collat. IV, 288. Huius prudentiae species est, quae dissimulet casum aduersum, ne metu frangantur militum animi. IV, 184.

Liberorum in parentes gratum animum commendat, cum Simoisio iuuensi obstitisse refert interitum, quo minus parentibus nutricia redderet, IV, 478. Huiusmodi exemplis factisque exerceri praeterea iuuentus possit, ut, quod dialectici praecipiunt, in concretis peruidere abstracta discat.

Vxoris aduersus maritum amorem ut facto docet Theano V, 70, quae Antenoris sui filium nothum, viro gratificatura, vna cum liberis suis educasset: ita perfidiam grauiter castigat Helena facti sui poenitens, seque vltro criminis incusans III, 173, 242. Feminae, etiam principes, non otiantur inertes, sed operosae Mineruae studio deditae, vel famulis pensa distribuunt, vel texendae telae, acuue pingendae artificio ingenii demonstrant sollertia, III, 125, IV, 491.

Mariti et patris amorem coniungit in celebrato illo Hectoris non reddituri abitu, libro VI extremo: qua scena, nulla ad meum sensum dulcior, ad humanitatem magis efficax spectari potest. Iam Axyli quem non moueat obuia humanitas? qui, omnes liberali comitate excepturus, aedes habitaret ad viam fitas VI, 15. Pater, cum e sinu suo filium dimittit, num salubriori eum consilio monere potest, quam, quo Glau-

cum

VIII

cum Hippolochus VI, 208, quo eodem Achillem Peleus XI,
783 dimisit?

Αἰεν ἀριστεύειν, πατὴρ υπεροχὸν εμμενεῖς αὐτῶν.

Nobile illud doctrinae christianaæ praeceptum, condonandam
esse iniuriam, si quem admissæ culpæ poeniteat, quam inge-
nioso commento exornat Poëta IX, 498, dum preces perso-
nas facit Iouis filias, iniuriam veluti Aten deam inducit, negle-
ctas Preces, mutatis insequendi vicibus, vindicaturam.

Denique vnius regis a Ioue constituti imperio quantum
tribuendum sit, Nestoris et Vlyssis voce docet I, 279, II, 204:
illius etiam, in consiliis aliorum audiendis quid summum impe-
rantem deceat IX, 100. Et hunc ipsum format, non solum
cum regem bonum passim vocat populorum pastorem, sed
maxime cum eum in Agamemnone, uno versiculo III, 179,
pingit, quem mirifice probasse Alexander M. perhibetur,
Αὐτοτερον βασιλεὺς τ' αγαθὸς ηρωτερος δαιχμητης.

Quem hactenus virtutis officiorumque magistrum cele-
brauimus, hic artibus ceteris quid praestiterit, videamus.
Homerum nuper in Topicis Ciceronianis legimus, propter ex-
cellentiam commune poëtarum nomen effecisse apud Graecos
suum. Quid mirum, si eum in fingendi artificio, in tempe-
randis operum coloribus, in dictionis pulchritudine simplici
imitati sunt Poëtae? Sed oratores quoque eius in inueniendo
disponendoque follertia mēlulabantur. Nestorem legimus
IV, 297, aciem instruxisse ita, ut fortissimos milites in prin-
cipio et fine, ignauos in media acie collocaret. Hinc illa, quae
in collocandis argumentis commendatur, Homericā dispositio-
Elocutionis etiam varias formas ab Homero rhetores ducebant;

et

et eam, quam stili breuitatem dicunt; in Menelao animaduer-
timus, quem succinete concionantem laudat Antenor III, 213:
vt in rege Spartano iam tum Laconismum gentis illius proprium
deprehendamus. Ex Homero arcessere tria illa dicendi genera
queat, qui magnificum in Vlysse, tenue in Menelao, medio-
cre in Nestore animaduerterit. Insignis reique ac tempori
mirifice accommodatae et prope iam perfectae specimen elo-
quentiae vidimus libro IX in tribus ad Achillem legatis, qui ipso
ordine, quo semet excipiunt dicturi, argumentis vim addunt,
dum ad mouendum Achillis animum, veluti dispertitis parti-
bus, accedunt. In orationibus ducum ad excitandam militum
virtutem eminere videntur duae Hectoris, tum illa paullo lon-
gior, in qua etiam equos suos cohortatur, VIII, 137, tum
breuior XI, 286. Ad seditionem, conflandamque Agamemno-
ni inuidiam spectat Thersitis sermo II, 225; sed dicendi artificio excellit. Eloquentiae in tacendo simulque prudentiae
specimen edit Diomedes IV, 401: neque enim fortius refelli
potuit Agamemnonis exprobratio, qui eum virtute patrem non
aequare, sed facundia etiam superare, dixerat.

Praetermitto Philosophos, tametsi Xenophanes ex Homeri
versiculo VII, 99, sua rerum principia, aquam et terram
duxisse visus est. Sed artifices, et in his Phidiam, praetermit-
tere non possum: quem, cum Iouis simulacrum sculpturo non
satisfaceret species, quam ipse mente concepisset, scholam rhe-
toris intraesse narrant Homerum explicantis, et eo ipso tempore
in declaranda Iouis plena maiestatis imagine, quam Poëta I,
528 effinxit, versantis, tantopere commotum animo incensum-
que exiisse, vt absolutissimum artis opus poneret. Similia ex
descriptionibus Homeri aliis perficiendae artis adiumenta habuisse
lascivus
B. dñis o. omnia lib. 8 tradunt

X

tradunt Euphranorem, pingendi artificem. In illis mihi excellere semper visa est libri VI, ea, qua Hectoris Andromachae suae supremum vale dicentis vultum mentemque picta tabella suspendit. Hanc utinam Chodouickius inspiciat, caeloque illam suo expressam sistat, quo Calesii vultum animumque in Lauateri de Physiognomonia fragmentis sculptum admiramur.

Cum unus omnium maxime celebraretur Homerus, et summa esset eius apud omnes auctoritas secutum est illud, ut de ipsius ortu et patria nobilissimae inter se ciuitates contendarent, ut *Colophonii ciuem esse dicerunt suum, Chii suum vindicarent, Salaminii repeterent, Smyrnai vero suum esse confirmarent*. Hinc celebrati versiculi, quos alii aliter, Leo Allatius in libro singulari de patria Homeri ita legit,

Ἐπτα πόλεις διεριζόσιν πέρι γίγαν Όμηρος.

Σμυρνα, Ρόδος, Κολοφων, Σαλαμιν, Χιος, Αργος, Αθηναι.

Quid? quod honores, qui nulli poëtae, nec scriptori alii, quantum equidem scio, tributi sunt, Homero praestitos legimus: non statuas tantum positas, sed ludos factos, delubra cum sacrificiis tanquam deo consecrata. Argis etiam ad festas dapes vna cum Apolline precibus inuitatum tradunt. Qui honores tametsi eximii sunt, haud tamen scio, an maiores dicam, quoniam ad posteritatis memoriam perenniores fuerunt, quos in eum contulere scriptorum omnis aetatis testimonia. De antiquis, compluribus illis ac grauissimis, unicum repetam ex Anthologia, quod ad Apollinem refertur.

Ηειδον μεν εγων, εχαρασσε δε Θεος Όμηρος.

Scita dictum narratiacula exposuit, qui de Homero in Arte poët. ipse dulcissime cecinit, BOILAEVS.

Quand

Quand la dernière fois, dans le sacré Vallon,
 La Troupe des neuf Soeurs, par l'ordre d'Apollon,
 Lût l'Iliade et l'Odyssée:
 Chacune à les louer se montrant empressée,
 Apprenez, un secret qu'ignore l'Univers,
 Leur dit alors le Dieu des Vers:
 Jadis avec Homere, aux rives du Permessé,
 Dans ce bois de Lauriers, où seul il me suivoit,
 Je les fis toutes deux, plein d'une douce ivresse.
 Je chantois; Homere écrivoit.

Excitare etiam studium Homeri debet illud, quod passim eum
 vocant in partem, nonnunquam nutu significant, vtriusque
 linguae auctores. Cuius rei nos exempla vidimus in Xeno-
 phontis Socratis, in Cyropaedia; in Cicerone et Horatio
 etiam plura. Quae loca minus intelligi, certe minus sentiri
 necesse est a lectore, qui Homerum ignoret. Aeneida maiore
 cum voluptate lecturus est, qui in Archetypo versatus ad
 ductum inde exemplar accedit. Quare, lecto ante Homero,
 MARONEM versandum, saltem ipsi iungendum censem, qui
 de auctorum lectione praecipiunt.

Tot illi tantique fructus animo obuersabantur duumuiris
 rei litterariae constituendae, qui post renatas litteras, Home-
 rum iuuentuti litteratae in manus tradidere, PHILIPPO ME-
 LANCHTHONI et IOACHIMO CAMERARIO. Quorum
 ille decumbens et iam morti proximus negasse fertur, se post
 sacrum codicem librum nosse Homero meliorem: et in Enco-
 mio eloquentiae quod declamationum T. I. legitur, *michi qui-*
dem,

XII

dem, inquit, omnium, quae hominum ingenia peperere, nullum prudentius Homericō scriptum videtur. Eodem tempore Camerarius Homerum sine versione cum scholiis Graecis edidit, eiusque interpretandi rationem monstrauit. Itaque tum Vitembergae et Lipsiae, tum in aliis Academiis viguit studium Homericum. Tubingae, ut studiosos omnes caperet auditorium Mart. Crucis Poëtam interpretantis, altero tanto maius effici, perfodiendo contigi cubiculi pariete, oportuit: quod inde nominatum est auditorium Homericum. Addidit, qui illud ineunte hoc saeculo in Bibliotheca Gr. commemorauit, IO. ALBERT. FABICIUS, *Verum haec olim fuere. Nunc recondita Maeonius senet quiete.*

Nimirum relanguerat paullatim nobilissimum studium. Huius languoris in Gymnasiis quidem, caussam, praeter alias, peruerfam rationem reperi, qua magistri in legendō Homero vterentur. Seruat bibliotheca Christianei *Miscellanea historica de Academiis, Gymnasiis, scholis* septem spissis voluminibus Richeyi quondam studio collecta, quae recitationum indices, programmata, cet. continent. In illis ergo scriptionibus passim reperi, quae suspicionem confirmarent, magistros non vim et genium Homerici carminis, non amabilem illam simplicitatem, non naturalem in narrando, fingendo, eloquendo pulchritudinem spe&tasse; sed continuisse iuvenes in misera vocum analysi, in dialectorum formis, in verbosa antiquorum rituum enarratione. Accedebat aliud malum, quod sensum diuini carminis pulchrique intellectum impediret, vulgaris versio Lat. ad latus posita: quae fane eiusmodi est, ut in Homeros transferas, mutatis quibusdam vocibus, lusum MENAGII in Horatios, Latinum alterum, alterum Gallicum, male impariterque iunctos,

*Il faudroit, soit dit entre nous,
A deux Divinités porter ces deux Homeres :
Le Grec droit à Venus, au temple de Cytheres,
Et le Latin à son Epoux.*

Ea de caufsa abiiciunt versionem illam, qui iuuentuti consulunt, editores Homeri; quam nuper etiam FRID. AVG. WOLFIUS, veluti Polyphemo similem, *monstrum horrendum, et informe, cui lumen ademtum*, vocauit. Mihi ad impudentissimos calumniatores referendus, et Kalumniae nota inurendus videtur, qui antiquum auctorem praestantem et classicum male vertendo in contemntum adducit apud eos, qui a versione pendere coguntur, ipsumque per se nosse non possunt. Haec calumnia, apud Francogallos maxime, Homero nocuit, dum Perraltus et Perralti similes, hoc est, Graecae linguae ignari, qualem vulgaris versio Homerum tradebat, tales esse putabant.

In altercatione Achillis et Agamemnonis, I, 149, 225, indigna Heroibus plebis conuicia ingessisse Poëtam clamitant, qui in versione Lat. ad verbum haerent, nec sensum capiunt meliori versione reddendum: qui nesciunt, nominibus animalium ab antiquis non contumeliam, sed naturae indolem significari. Quod etiam ad comparationes alias valet recte intelligendas. Imperiosam Iunonem cum iniuncta se manu repressurum minatur Jupiter I, 567, non illico cogitare manum debebant, quae pugnum et alapas infligat, sed potentiam, qua superba et feroiens coērceatur. Non Homero, sed oscitanti interpreti exprobrandus erat vomitus, qui Francogallo naufream mouit in Achille puerulo IX, 487. Bibentis inter singultus infantis picturam naturalem, neque aetatulae illi, neque carmini indecoram tuetur RICCHII melior versio.

XIV

Saepe mihi madidam fecisti in pectore vestem:

Emanante labris vino infantibus annis.

In epithetis θειοι illud concoqui non possunt rebus, personis, locis, quae nihil quidquam diuini praeferant, additum: sed Graeca consuetudo nihil aliud vult, quam nobile, et in suo genere magnum, amplum.

Puerum me legere memini in personati Menantis poëtice vernacula, quae tum iuuenili studio commendabatur, non posse petulantius noceri Homero, quam si quis enim in vernaculam conuerteret. Notari putabam aliquem misellum versificatorem. Scilicet Menantes meus Poëtam, non nisi ex vulgari versione Lat. nouerat. Enimuero tantum abest, vt Homero nocuerint, qui eum in linguas, quae hodie vsu vigent, conuerterent, vt ex eo tempore vernaculum legant et admirarentur etiam, qui Graecum legere nequeunt, et nonnulli interpretatione ipsa incitati cupidius ad linguae Graecae studium, ex ipso fonte hausturi, incumbant. Primam hic lauream Francogalli necunt DACE-RIAE suae, lepideque ad eius laudem inflexit nescio quis Iliados principium.

Ιλιας η δ'Ανης Δαιηριδος η μαλα δητοι

Νυν Πηληγιαδεω μηνιν αεισε Θεα.

Ampliorem ex simili labore laudem apud Britannos consecutus est, qui illustrium virorum aemulantium inter se studiis impulsus fuerat, POPIVS. Ingenti plausu exceptum fuisse Homerum Anglice canentem, et tum auctori, tum Sosiis aera meruisse, nemo nescit. Dudum in illa beata Insula vigebat Homerus, etiam inter viros principes: in quibus BVCKINGHAMVS dux ei tribuit, quo vix maius possit, semel lectum præstare

stare illud, vt nolis libros amplius alios legere, continenter ver-
fatum etiam hoc, vt non aliis tibi opus esse existimes. Sed non
inuiti legent nostri, qui Anglice sciunt, versiculos ipsos.

*Read Homer once, and you can read no more;
For all Books else appear so mean, so poor,
Verse will seem Prose: but still persist to read,
And Homer will be all the Books you need.*

Habemus tandem Germani, praeter alias, quae paullo ante,
intra decem vel duodecim annos prodierant, praestantissimas
versiones duas, quae Holsatiae nostrae debentur, Iliados STOL-
BERGIANAM, Odysseae VOSSIANAM. Venit in partem
huius laudis Altona nostra, quae iam pridem ediderat priorum
aliquot Iliadum versiones binas, vtramque elegantis ingenii
fructum. Quod ipsum impellere debeat Christianei nostri alu-
mnos ad Homerum studiosius legendum, quo tum patria, tum
vrbs ex illius laudis possessione veriore etiam vberioremque
gloriam consequatur. Eiusmodi versione poëtica, quae, quan-
tum concedit linguae genius, vim ac spiritum Homerici carmi-
nis reddat, quantopere adiuuari possit iuuentus, non uno expe-
rimento auimaduerti.

Sed Homeri Sirenibus, quas suauiter in prooemio EV-
STATHIVS commeminit, qui perfui plenius volet, tota mente
ac cogitatione priscae simplicitatis imaginem concipiat, et se con-
ferat in illa tempora, cum pugnauit Achilles, et Homerus ceci-
nit, vt cum Horatio etiam optet, *Hos utinam inter Heros na-
tum Tellus me prima tulisset!* Tum vero mihi iustus erit Homeri
lector, et dignus, qui ex limpidissimo fonte liberali haustu
bibat. Non hoc meminerant recentiores Zoili quidam, qui vim
omnem

XVI

omnem humanitatis sui saeculi consuetudine metirentur, praeterea ad carminis epicis leges, quas diu post Homerum recentior aetas tulisset, Iliadem exigendam, ac non potius ex sua indole et constitutione spectandam putarent: itaque fieri non potuit, quin occurreret hic, illic, quod notandum et reprehendendum inquis censoribus videretur.

Parum fortis visus est Achilles, suaequis principis personae immemor, qui, propter impositam fibi contumeliam, in grauissimo moerore lacrimas funderet, I, 357. Sed vindicauit in Achille humanae naturae indolem BOILAEVS (Art. poët. III, 106.)

J'aime à lui voir verser des pleurs pour un affront.

À ces petits défauts marqués dans sa peinture

L'esprit avec plaisir reconnoît la nature.

Vt hic naturae simplici obtemperauit Heros: ita prisci moris, cuius s. codicis libri antiquiores in simili genere exempla praebent, simplicitatem feruat, qui coenam paraturus carnes ipse dissecat ignique imponit, IX, 209. Iactu faxorum, quae campus forte suggerebat, V, 302, VIII, 321, offenduntur iidem Homero mastiges. Nimirum nostrorum militum tela, glandes tormento mittendas, vel mala grenadensis porrigerere debuerat Homerus Heroibus suis.

Sunt, qui duces Homericos loquacitatis arguant, qui narrationes orationesque reprehendant paullo longiores. Enim uero haé ipsae tantum suavitatis habent, et senilem morem tam pulchre imitantur tum Nestoris VIII, 133, X, 669, tum Phoenicis IX, 523, dum vtrumque repraesentant laudatorem temporis acti se puerō, vt neutrā malimus breuiorem. Longum videri poterat

poterat Glauci aduersus Diomedem prodeuntis colloquium, VI, 120, nisi vtrique exercitui respirandi tempus, et pugnae cessationem quandam attulisset Hectoris in vrbe commoratio; lectoris quidem studium rerum personarumque varietate retinet, animum deinde iucundo exitu delectat. Ceterum ab intempestiu garrulitate et percontatione, vbi res vrgeat, quantopere abstineant milites, animaduertimus V, 516, cum Aeneam, praeter spem redeuntem sui mirantes, sed taciti, excipitint.

Loquacior etiam visus est nonnullis Homerus ipse, qui, iudice Horatio, nil molitur inepte. Eum dicunt, quoties descriptionum ac similitudinum ornatu vtatur, ultra modum progredi. Sed adparatum armorum, quo Paridem, vt hoc vtar, non tam in pugnam instrui, quam exornari ad pompam credas, quis est, qui non eadem cum voluptate legat, qua lecturus sit in ludicro carmine belluli alicuius ac delicati cultum, formas spectatum prodituri? Capri agrestis, ex cuius deiecti cornibus arcum sibi fecerat Pandarus, caedendi etiam ratio et casus describitur IV, 105. At cernimus hoc ipso venatoris artem, et iam inde paululum commoti Menelaο metuimus. Est vbi Similitudinem aliquanto amplius expingat, et quae ad vim comparandi ipsam superuacua videantur, addat, v. g. IV, 482, vbi cadit Simoisius excisae prope paludem populi instar: excisam deinceps et arefactam curruum fabricator ad conficiendas inde rotas incuruat. Mihi quidem tantopere placet haec narrandi simplicitas, vt abesse hic fabrum, abesse ipsius in tractando ligno sollertia nolim.

Quid vero? nonne infra epici carminis dignitatem est scena illa I, 595, vbi Vulcanus inducitur pincerna claudus, diis risum excitans? At enim cum Poeta diis hominum et figuram, et affectus tribuat, et Vulcanus matrem reliquosque caelicolas Iouis comminatione videret conturbatos, vnde coena parum iucunda

XVIII

consequeretur, quidni ad hilaritatem eos reuocaret inferendo ridiculo? Solet nonnunquam ridiculum acri fortius ac melius rem decidere: neque hic optabili coenaturis successu caruit. Est huic scenae non dissimilis illa vapulantis Thersitae II, 265, qua Achiuos, spe redditus incisa moerentes, ad suauem risum traduxit Vlysses. Neque ab eadem abludit Mineruae in Venerem a Diomedे vulneratam iocus V, 425, quo audito, subrisit ipse pater hominum et deorum.

Sed nihil ad delectationem aptius Episodiis, tum maioribus, quae carmini exornando amplificandoque inferuiunt, cuiusmodi sunt, quae modo laudauimus; tum minoribus, quibus tanquam fabellis distinguuntur, quae similitudine sua satietatem animo adferre possint, cuius generis occurruunt libro II in longa ducum et nauium enumeratione, veluti scholia, quibus seueritatem doctrinae exhilarare, et explicare frontem solent artium doctores.

Denique naturae ingenuae et antiqui moris simplicitatem habent Repetitiones Homericæ. Non modo illas dico, quas in perpetuis ducum epithetis, tanquam patronymicis, animaduertimus, v. g. ποδας ωντος Αχιλλευς, neque has, quibus constans quaedam rei affectio exhibetur etiam tum, cum aliam locus ipse poscere videatur, v. g. επεια πτεροεντα, sed repetitiones potius dico eas, quibus legati vtuntur et nuntii, dum quae mandata erant, iisdem verbis referunt. Quae Somno Iupiter ad Agamemnonem perferenda mandat, II, 11, non ille tantum accurate reddit v. 28: sed hic denuo Somni dicta totidem verbis in ducum concilio v. 60 repetit. Non pauca sunt huius generis exempla, quorum nobis postremum fuit XI, 187, 202, illis similia, quae in s. codice Hebraeorum legimus. (obiter addimus illius Somni non absimile legi I. Reg. XXII, 21). Praeterea etiam gratae negligentiae speciem, et commutandæ dictionis incuriam

incuriam haud insuauem habent passim in simili re versiculi vel integri, vel commutata forte vocula iterati. Vix lector attentus, et superiorum bene memor paginam in Homero legat, quin illius repetitionis exemplum vnum alterumue occurrat. Quod vt olim non iniucundum esse debuit ediscentibus et memoriter recitaturis: ita hodieque ad retinendas voces ac formulas percommo- dum videtur. Solebamus quondam iuuenes in sodalitate Gedanensi, cuius ante memini, honesti inde neque ingratii lufus ex- emplum ducere, dum quis nostrum plures versiculos, plura hemistichia repetita adnotaret, concertabamus.

Itane? interroget forte cum Horatio aliquis, Tu nihil in magno doctus reprendis Homero? Ego vero responsum dabo, quod ipse reliquit scriptum.

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus: Verum operi longo fas est obrepere somnum. Humanae naturae vicem dolere me dicam, si quando accidat, vt Homerus, summus ille quidem, sed homo tamen, lapsus videatur: sed vehementer excusatum velle, cuius in longissimo carmine, cum plura niteant, paucae maculae reperiantur.

Obsignabo prolusionem consulto, quod triumuiri in hoc litterarum genere spectatissimi, veluti vna suffragatione, edixerunt.

*Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.*

*Be Homer's Works your study and delight,
Read them by day, and meditate by night.*

*Aimez, donc ses Ecrits, mais d'un amour sincere,
C'est avoir profité que de savoir s'y plaisir.*

Faxit Deus immortalis, auctor omnis salutaris solidaeque cognitionis, vt Christianeo nostro nunquam defint Iuuenes, qui tum ad ceteras, quae hic traduntur, litterarum partes constanti diligentia incumbant, tum Homericum fontem adire lubentes alacresque velint!

Vtriusque laudis nomine commendandi nobis sunt praestantissimi Iuue- nes, quorum nunc supremum vale dicendi officium indicimus.

XX

Eo quidem anni superioris auctumno iam perfuncti sunt
GEORGIVS FRIDERICVS BAVR,
ALTONANVS,
LVDOLPH. HENRIC. EVSTACH A DOERING,
GVELPHERBYTANVS,
Regis a nobilibus aulicis.

Propter rationes domesticas priuatim, consentiente Collegio, discesserunt
CHRISTAN. HENRIC. SCHEEL,
OLDENBURGENSIS,
et

THOMAS CHRISTIAN. ANDRESEN,
SVLFELD-HOLSATVS.

In praesenti ad obeundum illud piae grataeque mentis munus publice
prodibunt,

CAR. LVDOV. SIGISM. KOSSELA DE SOLNA,
ALTONANVS,
qui, stipendii Schroederiani alumnus, ex b. Testatoris lege, *De com-
modis, quae ex Gymnasio Altonano ad patriam nostram redundant*, Latine
dicet.

SIEGFR. IOH. GEORG. BEHRENS,
HEYDA HOLSATIVS,
Artem sibi commodisque suis consulendi patrio sermone prosecuturus.

IOHANN. CHRISTIAN. SPIES,
SVLFELD. HOLSATVS,
Facilitatem erga dissentientes in sacris praedicabit oratione vernacula.

IO. HENRICVS SCHROEDER,
WEVELSELETH. HOLSATVS.
De animo grato, beneficiorumque memori orator vernaculus perorabit.

Concionem sollemnem ut exoptata nobis praesentia sua reddere splen-
didam velint, PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTIS-
SIMVS CIVITATIS PRAESES SVMMVS, VENERANDI
GYMNASIARCHAE, MAECENATES, PATRONI, FAV-
TORES LITTERARVM ET EXISTIMATORES quam offi-
ciosissime et humanissime rogamus cunctos et obtestamur.

P. P. a. d. VIII Calendar. Aprilis 1919.




Ad patriae amore
XII, 242, quo pugna
dicit Hector. Cumque
in ipsa nobili Aiakis fug
bello ipsi fortitudini pr
sibi Diomedis, sed N
Agamemnon II, 372,
cies est, quae dissimul
militum animi. IV, 18

Liberorum in par
Simoisio iuueni obstiti
nutricia redderet, IV,
ercenti praeterea iuuentu
in concretis peruidere

Vxoris aduersus
V, 70, quae Antenor
vna cum liberis suis c
Helena facti sui poenii
173, 242. Feminae
sed operosae Mineruae
buunt, vel texendae
demonstrant sollertia

Mariti et patris a
ris non reddituri abitu
ad meum sensum dul
ctari potest. Iam Ax
qui, omnes liberali
viam sitas VI, 15.
num salubriori eum c



loco excitat, sed in primis illo
ia praestantissimum augurium
em bellicam passim laudet, et
pingat: prudentiam tamen in
docet celebri voto, quo non
em similes optat rex regum
, 288. Huius prudentiae spe
duersum, ne metu frangantur

im animum commendat, cum
teritum, quo minus parentibus
usmodi exemplis factisque ex
t, quod dialectici praecipiunt,
scat.

morem vt facto docet Theano
a nothum, viro gratificatura,
ita perfidiam grauiter castigat
e vltro criminis incusans III,
incipes, non otiantur inertes,
litae, vel famulis pensa distri
gue pingendae artificio ingenii
, IV, 491.

niungit in celebrato illo Hecto
extremo: qua scena, nulla
umanitatem magis efficax spe
non moueat obvia humanitas?
excepturus, aedes habitaret ad
im e finu suo filium dimittit,
ere potest, quam, quo Glau
cum